

De puerili apud veteres Graecos et Romanos institutione.

Scriptisit

Maur. Moser.

Aliquot abhinc annis solempni quodam die, auditione publica, de puerili apud veteres Graecos et Romanos institutione praelegeram. Ut fit plerumque quum quid ex eo genere accuratius consideraveris, haeret animo et nescio quomodo in dies fit carius. Denuo legebam quos optimos in hoc genere existimabam auctores, quae ex re esse viderentur adnotabam. Ecce tandem mihi afferuntur egregii illi libri Charicles et Gallus Guil. Ad. Beckeri et Antiquitates Graecae Caroli Fr. Hermannii (in nostris enim oppidulis, a majoribus bibliothecis remotis, quamvis magnos sumtus in coemendis libris facias, praeclare nobiscum agi videtur, si ejusmodi libris sex septemve annis postquam in vulgus editi sunt uti contingit). Quorum utriusque doctissimorum hominum uberrimis copiis subtilique judicio ita laetitia affectus sum, ut tamen a consilio de eadem re scribendi paene deterrerer. Quum vero alia paullo aliter se habere, alia explicando illustrari posse viderentur, recepto quodammodo animo totam rem denuo repetivi. Ubi neque novandi neque illustrandi esset copia, jure me eos locos omisisse arbitror, itaque silentio praeterii quibus quasque disciplinas aetatibus veteres tradere inceperint, quantum mercedis quibus pensionibus praeceptoribus datum sit et nonnulla eius generis alia, satius enim duxi significare utrum magnam an parvam mercedem acceperint.

In universo autem hoc genere alia sunt toti antiquitati et Graecis et Romanis communia, sunt alia dissimilia, alia posteriore tempore vel immutata vel prorsus relictas. Quibus rebus explicatis videbimus postremo quid et quantum nostrae aetatis scholae ab antiquis illis differant et utra saecula humanitatis laude praestare videantur. Utemur autem scholarum vocabulo quum de universo genere, tum ubi de grammaticis, rhetoribus, philosophis sermo erit, ludorum nomen inferioribus dabimus, non ignari nos aliquantulum

a Ciceroniana dicendi consuetudine recessisse. Sed quum Ciceronis aetate tota res apud Romanos vel admodum iaceret, vel ad paullo laetiores spes modo se erigere coepisset, eius temporis vocabula sufficere non videbantur.

Communia autem erant utrique genti primum quod rerum publicarum cura ad scholas pertinebat fere nulla, deinde quod pueri ingenui praeter tenuissimorum hominum filios nunquam in publicum sine paedagogo prodibant. Quorum utrumque quale fuerit iam accuratius videamus. Sunt apud nos aedes publicae litterarum studiis consecratae, sunt leges quae litterae quibus temporibus quo modo docendae sint et a quibus magistris, sumptus magnam partem publice praebentur, praesunt universae huic rei sui magistratus, nulla apud nos schola, praeterquam ubi prima elementa docentur, quin multi eodem tempore praeceptores plures litterarum disciplinas tradant, maxima autem cura et quibus sint moribus et quid docendo efficere possint anquiritur. Praescriptum apud nos est legibus quas disciplinas penitus cognitae et perceptae habere debeant munus aliquod vel sacrum vel profanum vel forense vel militare petitori. Horum omnium nihil simile apud veteres fuisse videmus. Nam ut ab eo ordiamur quod extremo loco posuimus, indignum et homini ingenuo minime ferendum visum esset veteribus si quis percontando investigare voluisset quid et quantum quis sciret honores petiturus. Δοκιμασία autem illa apud Athenienses qualis fuerit apparet ex Aesch. c. Timarch. §. 28. τίνας δ' οὐκ ᾔετο δεῖν λέγειν; τοὺς αἰσχροῦς βεβιωκότας — τούτους οὐκ ἐὰν δημηγορεῖν. καὶ ποῦ τοῦτο δηλοῖ; δοκιμασία, φησὶ, ρητόρων. ἐάν τις λέγῃ ἐν τῷ δήμῳ τὸν πατέρα τύπτων ἢ τὴν μητέρα, ἢ μὴ τρέφων, ἢ μὴ παρέχων οἴκησιν. Quantum hoc abest a nostra percontationum consuetudine! Singuli apud Graecos et Romanos singularum artium scholas aperuerunt, quibus erat volentibus, non iussu, non sumptu publico, nullis publicis aedibus. Saepenumero ne cives quidem erant sed peregrini vel advenae, ceteris vitae rationibus perditis ut Dionysius ille. De mercede inter patrem et praeceptorem conveniebat. Sero tandem Imperatorum temporibus patres et mores praeceptoris inspicere et quid doctrina efficere posset non inutile putabant (Quintil. Inst. Or. II. 2. 1. Lucian. de mere. cond. 12.). Erant qui vulgo se experiundos darent (Gell. N. A. XVI., 6.). At exstant leges Solonis laudatae ab Aesch. c. Timarch. §. 9—11. Ὁ νομοθέτης πρῶτον μὲν τοῖς διδασκάλοις, οἷς ἐξ ἀνάγκης παρακατατιθέμεθα τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν παῖδας, οἷς ἐστὶν ὁ μὲν βίος ἀπὸ τοῦ σωφρονεῖν, ἢ δ' ἀπορία ἐκ τῶν ἐναντίων, ὅμως ἀπιστῶν φαίνεται, καὶ διαρρήδην ἀποδείκνυσιν πρῶτον μὲν ἣν ὥραν προσήκει ἰέναι τὸν παῖδα τὸν ἐλεύθερον εἰς τὸ διδασκαλεῖον, ἔπειτα μετὰ πόσων παιδῶν εἰσιέναι καὶ πηνίκα ἀπιέναι, καὶ τοὺς διδασκάλους τὰ διδασκαλεῖα καὶ τοὺς παιδοτρίβας τὰς παλαιστράς ἀνοίγειν μὲν ἀπαγορεύει μὴ πρότερον, πρὶν ἢ ὁ ἥλιος ἀνίσχῃ, κλείειν δὲ προστάττει πρὸ ἡλίου δεδυκότος, τὰς ἐρημίας καὶ τὸ σκότος ἐν πλείστη ὑποψία ποιούμενος· καὶ τοὺς νεανίσκους τοὺς εἰσφοιτῶντας οὕστινας δεῖ εἶναι καὶ ἄστινας ἡλικίας ἔχοντας, καὶ ἀρχὴν ἣτις ἐστὶ ἢ τούτων ἐπιμελησομένη, καὶ περὶ παιδαγωγῶν

ἐπιμελείας καὶ περὶ Μουσείων ἐν τοῖς διδασκαλείοις καὶ περὶ Ἐρμαίων ἐν ταῖς παλαιστραῖς, καὶ τὸ τελευταῖον περὶ τῆς συμφοιτήσεως τῶν παίδων καὶ τῶν χορῶν τῶν ἐγκυκλίων. Obscurus sane locus neque adhuc satis ab interpretibus expeditus. Ἀρχαὶ illae sunt sine dubio de minoribus magistratibus παιδονόμοι (Aristot. Pol. IV., 15.) et σωφρονισταὶ (Schol. Thuc. III., 65.), castigabant vel verbis vel verberibus lasciviam et immodestiam puerorum et negligentiam paedagogorum. Nihil igitur tale Solonis legibus constitutum qualia apud nos sunt innumera. Unum autem illud satis apparet voluisse legislatorem tutos praestare pueros ab impudicorum hominum illecebris. Quis enim ignorat graecum illum amandi morem, quem ut interdum purum et castum fuisse maximarumque virtutum parentem fateamur, saepissime tamen flagitiosissimum fuisse constat? Narratur porro a Plut. (v. Them. c. 10.) Athenienses irruente Persa mulieres et liberos suos Troezena asportavisse et Troezenios certatim ad pueros sustentandos docendosque contribuisse (καὶ τῆς ὁπώρας λαμβάνειν τοὺς παῖδας ἐξεῖναι πανταχόθεν, ἔτι δ' ὑπὲρ αὐτῶν διδασκάλοις τελεῖν μισθοὺς). Quod autem Troezenii in tanta Atheniensium totiusque Graeciae calamitate tantoque tumultu misericordia ducti fecerunt, id non semper ita factum esse putabitur. Legitur deinde apud Plat. (Crito p. 50.): νόμοι παραγγέλλοντες τῷ πατρὶ τῷ σῶ, σὲ ἐν μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν. Nonne vero ipsa verba declarant commendatum potius quam imperatum patribus esse ut pueros his artibus erudiri velint? Certe ne multa quidem aliave poena addita est, si quis hanc legem neglexisset. Gravius est quod legitur apud Diod. Sic. XII., 12. Χαρόνδας ἐνομοθέτησε τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεῖς ἅπαντας μανθάνειν γράμματα χορηγούσης τῆς πόλεως τοὺς μισθοὺς τοῖς διδασκάλοις. At tu respice quae paullo superius scripta sunt: νόμον τοῖς παλαιοτέροις αὐτοῦ ἡμελημένον. Nonne hoc tibi magis confirmare quam evertere nostram sententiam videtur, non fuisse publica pecunia conductos magistros? Quod si apud Graecos, qui tanto liberalium artium studio flagrarent ut et ἀπαιδευσία summo opprobrio daretur et πεπαιδευμένος idem valeret quod καλὸς κάγαθός, minima vel nulla scholarum cura habebatur publica, quid tandem de Romanis dicemus, apud quos summa laus una rebus gerendis continebatur? Nam ut credamus illud Thurinorum institutum, quod mihi quidem non parum probabile videtur, postero tempore paullatim a nonnullis aliis Graeciae civitatibus receptum esse, tanto certe Graeci Romanos in eo genere praestitisse putandi sunt, quanto nos cunctos antiquitatis populos hac laude antecedamus. Testis est ipse Cicero de Rep. IV. 3. „*Principio disciplinam puerilem ingenuis (de qua Graeci multum frustra laborarunt, et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum negligentiam accusat) nullam certam aut destinatam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt.*“ Quae quum ita sint, non tamen doctoribus quidlibet vel dicere vel docere licuisse existimandum est. Animadversum est Athenis in Anaxagoram, Diagoram, Socratem quod deos esse negare et disciplinam maiorum labefactare viderentur (Plut. Pericl. c. 32. Καὶ ψήφισμα Διοπείδης ἔγραψεν εἰσαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ

θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ τῶν μεταρσίων διδάσκοντας.). Roma exire rhetores Latini iussi sunt C. Fannio Strabone M. Valerio Messalla coss. Philosophi Domitiano imperante senatus consulto eieci atque urbe et Italia interdicti sunt (Cic. de Or. III., c. 24., Sueton. de cl. rhet. 1., Gell. N. A. XV., 11.).

Atqui ut vere quod sentio dicam, non poterat aliter fieri liberis illis veteribus civitatibus, non poterat tanta cura impertiri publice scholis, quanta nobis opus esse videtur. Quis enim, ubi summi magistratus erant annui praeceptorem philosophiae ne dicam ludi magistrum potestate perpetua tulisset? Nisi forte quis dicat hos quoque fieri potuisse annuos, quasi copia esset eligendi inter Platonēs. Quis mercenarios tulisset honores, ubi nihil turpius quam rempublicam quaestui habere, ubi summos quosque magistratus summos in rempublicam sumptus facere oportebat? Quis philosophum vel rhetorem, florentem gratia apud summos in republica cives, stipatum catervis nobilissimorum iuvenum, quos sibi humanitate dicendi facultate caritate devinetos haberet, non tanquam futurum ac plane instantem tyrannum perhorruisset? Non est igitur istius modi civitatum condere scholas, constituere praeceptores, dignitatem addere constitutis. Longe aliter se res habet in iis civitatibus quae sub regum sunt imperio. Tu mihi vide Philippum illum Alexandri patrem, qui quamvis etiamnunc subactae Graeciae invidia quadam flagret, quanto consilio Aristotelem filio praeceptorem arcessivit! Dignissima est epistola quae ad verbum huc transcribatur, debemus Gellio N. A. IX., 3.

Φίλιππος Ἀριστοτέλῃ χαίρειν. Ἴσθι μοι γεγονότα υἱόν. Πολλὴν οὖν τοῖς θεοῖς ἔχω χάριν, οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδός, ὥς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι ἐλπίζω γὰρ αὐτὸν ὑπὸ σοῦ τραφέντα καὶ παιδευθέντα ἄξιον ἔσσεσθαι καὶ ἡμῶν καὶ τῆς τῶν πραγμάτων διαδοχῆς.

Num quid simile ex cetera antiquitate tota proferre poteris? Quamvis enim interpolatam esse hanc epistolam viri docti censeant (cf. Brandis Aristot. p. 55. a. 31.) tamen ex hac re apparet, quantam curam regem in educando filio posuisse veteres iudicaverint. Eiusdem curae et diligentiae luculenta testimonia habes apud Plutarch. Alex. c. 5. et 7. Pro talibus tanti magistri meritis non solum captum dirutumque oppidum Stagiritarum iterum aedificavit civesque partim dilapsos partim in servitutem abductos reduxit, sed etiam scholam ibi primus quod sciam totius antiquitatis condidit. Plut. Alex. c. 7. τοῖς περὶ μουσικὴν καὶ τὰ ἐγκύκλια παιδευταῖς οὐ πᾶν τι πιστεύων, τὴν ἐπιστάσιαν αὐτοῦ καὶ κατάρτισιν, ὥς μείζονος οὖσαν πραγματείας καὶ κατὰ τὸν Σοφοκλέα

πολλῶν χαλινῶν ἔργον οἰάων θ' ἄμα,
μετεπέμψατο τῶν φιλοσόφων τὸν ἐνδοξότατον καὶ λογιώτατον Ἀριστοτέλῃν
καλὰ καὶ πρόποντα διδασκάλια τελέσας αὐτῷ. Τὴν γὰρ Σταγειριτῶν πόλιν,
ἐξ ἧς ἦν Ἀριστοτέλης, ἀνάστατον ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένην, συνώκισε πάλιν καὶ
τοὺς διαφνρόντας ἢ δουλεύοντας τῶν πολιτῶν ἀποκατέστησε. Σχολὴν μὲν
οὖν αὐτοῖς καὶ διατριβὴν τὸ περὶ Μιέζαν νυμφαῖον ἀπέδειξεν, ὅπου

μέχρι νῦν Ἀριστοτέλους ἔδρας τε λιθίνας καὶ ὑποσκήτους περιπάτους δεικνύουσιν. Summi illius magistri consilia sine dubio secutus animo conceperat Alexander epigonorum quos vocabat scholas instituere, sed praematura morte quo minus quod volebat perficeret impeditus est. (Diod. Sic. XVII., 110.) Quo vero consilio idem Philippus Eumenem inter intimos amicos adscivit, hominem fide industria doctrina insignem! Num tu putas hominem peregrinum in ulla alia Graecarum civitatum ad tantum dignitatis et potentiae fastigium pervenire potuisse? Qua in re miror iudicium Cornelii Nep. qui id Graecis tribuerit, quodtribuendum erat regibus. Scripsit (Eum. c. 1.) „Philippus Eumenem habuit ad manum scribae loco, quod multo apud Graecos honorificentius est quam apud Romanos. Nam apud nos revera sicut sunt, mercenarii scribae existimantur, at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco et fide et industria cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.“ Nam ut fuerint maiore in honore apud Graecos homines litterarum doctrina eloquentia philosophia praestantes, scribae (γραμματεῖς) dum liberae erant illae civitates aut satis tenui aut nullo dignitatis loco erant. Ad tantam autem dignitatem tantamque potentiam Eumenes nisi regali sub imperio pervenire non potuit, facilius enim reges fidem et industriam quam locum quo quisque natus sit sequuntur. Reges deinde Aegypti et de omni litterarum genere et de hominibus doctis optime meritos esse inter omnes constat, plurimique floruerunt Alexandriae et grammatici illustres et poetae nobilissimi et homines in omni doctrinarum genere insignes. Neque minus Asiae reges huic laudi studuisse videntur. Maximam Pergami bibliothecam habebant, quam postea Antonius Cleopatrae donatam Alexandriam transportavit. (Plut. Ant. c. 58.) Sertorius autem apud Lusitanos potentiam paene regalem nactus, scholam Oseae ad exemplum Romanarum Graecarumque condidit. Plut. Sert. c. 14. Τοὺς γὰρ εὐγενεστάτους ἀπὸ τῶν ἐθνῶν συναγαγὼν εἰς Ὀσκαν, πόλιν μεγάλην, διδασκάλους ἐπιστήσας Ἑλληνικῶν καὶ Ῥωμαϊκῶν μαθημάτων ἔργῳ μὲν ἐξωμυρεῦσατο, λόγῳ ἐπαίδευεν, ὥς ἀνδράσι γενομένοις πολιτείας τε μεταδώσων καὶ ἀρχῆς. Οἱ δὲ πατέρες ἤδοντο θανμαστώσ τοὺς παῖδας ἐν περιπορφύροις ὀρώντες μάλα κοσμίως φοιτῶντας εἰς τὰ διδασκαλεῖα καὶ τὸν Σεργάριον ὑπὲρ αὐτῶν μισθοὺς τελοῦντα καὶ πολλάκις ἐπιδείξεις λαμβάνοντα καὶ γέρα τοῖς ἀξίοις νέμοντα καὶ τὰ χρυσᾶ περιδέραια δωροῦμενον, ἃ Ῥωμαῖοι βούλλας καλοῦσιν. Similia his narrantur Plut. qu. symp. IX., 1. Ἀμμόνιος Ἀθήνησι στρατηγῶν ἀπόδειξιν ἔλαβε τῶν γραμμάτων καὶ γεωμετρίαν καὶ τὰ ῥητορικά καὶ μουσικὴν μανθανόντων ἐφήβων, καὶ τοὺς εὐδοκμήσαντας τῶν διδασκάλων ἐπὶ δεῖπνον ἐκάλεσεν.

Iam de paedagogo dicendum esse videtur. Servus est, initio non docendi sed custodiendi causa puero additus „πρὸς τὸ μὴ βλάπτεσθαι“ (Epict. fragm. 37.) Dici enim non potest quanto apud nos tutius hodie vivatur quam olim apud veteres. Plena erant maria piratarum, plenae viae latronum, plenae urbes perditorum et facinorosorum hominum. Ut exemplum rei proferam, quam hic tantum obiter attingere licet, Epami-

nondas ille Thebanus (Corn. Nep. Ep. c. 4.) a Diomedonte frustra pecunia tentatus, hominem propere abire jussit. A quo quum quaesisset, quo se deduci vellet et ille Athenas dixisset, praesidium dedit ut eo tuto perveniret. Neque vero id satis habuit, sed etiam ut inviolatus in navem adscenderet per Chabriam Atheniensem effecit. Absunt autem Thebae ab Athenis vix unius diei iter. Quis hodie de praesidio cogitat vel per maximam terrae partem iter facturus? Haec de Graecia quum vel maxime artibus litteris legibus libertate floreret. Quid vero? De Italia quid dicam? Qua Romani saevissimis quatuor saeculorum bellis tandem subacta, eversa Carthagine, occupata Macedonia atque Asia terrarum imperio potiti quod unquam tempus aut a domesticis aut ab externis bellis cessarunt? Quam exigua erant temporum intervalla ubi aut otio frui aut tuto commeari liceret? Jam ipsae illae celeberrimae totius antiquitatis urbes, Athenae et Roma, illa quum a Persis haec a Gallis deletae essent, raptim et temere nullo communi consilio exstructae, erant sine dubio angustis et tortuosis plateis, curribus maximam partem non perviis (nec curru, quod parum civile putabatur, intra urbem vehebantur. Nep. Tim. c. 4.) colluvie et turba hominum et rerum omnis generis redundantibus. Etsi probe scio iam ab Homero nonnullas urbes *εὐρυαγυίας* dici, noli tamen illas cum nostris urbibus conferre. Immo tu nobilissimas illas urbes optimis illis temporibus minime tibi animo finge splendidas. „*Privatus illis census erat brevis, commune magnum.*“ Templi, delubra deorum, publica denique aedificia quidquid erat splendidi et magnifici continebant. Neque erat Roma, ut ego quidem opinor, coenaculis suspensa antequam esset caput orbis. Testes harum rerum habeo Horat. ep. II., 2, 71.

— — — — — verum
Pura sunt plateae nihil ut meditantibus obstet?
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
Torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustis,
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.

Martial. VII., 61.

Abstulerat totam temerarius institor urbem
Inque suo nullum limine limen erat.
Jussisti tennes, Germanice, crescere vicos,
Et modo quae fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est praecincta lagonis,
Nec praetor medio cogitur ire luto,
Stringitur in densa nec caeca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, copo, cocus, lanius sua limina servant,
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Plura etiam et graviora habet Juven. Sat. III., 236. seq. Sed ut nostra oratio iam unde degressa est revertatur, erat igitur paedagogus (puerorum pedisequus Auct. ad Her. IV., 52.) primo ad corporis custodiam additus, deinde vel maxime ad mores

tutandos ne quid puer neve audiret neve videret neve faceret neve diceret quod non deceret. Parentis quum loco esset, non solum commonefaciendi et obiurgandi sed etiam vinciendi et verberandi habuit arbitrium. Illud iure miramur Graecos in paedagogo deligendo tam negligenter esse versatos quam videmus apud comicos et testatur Plut. de ed. puer. c. 7. ἐπεὶ νῦν γε τὸ γινόμενον πολλοῖς ὑπερκαταγέλαστόν ἐστι. τῶν γὰρ δούλων τῶν σπουδαίων τοὺς μὲν γεωργοὺς ἀποδεικνύουσι, τοὺς δὲ ναυκλήρους, τοὺς δὲ ἐμπόρους, τοὺς δὲ οἰκονόμους, τοὺς δὲ δανειστάς· ὃ τι δ' ἂν εὕρωσιν ἀνδράποδον οὐνόληπτον καὶ λίχνον, πᾶσαν πραγματείαν ἄχρηστον, τοῦτω φέροντες ὑποβάλλουσι τοὺς υἱούς. Atque ut uno quasi conspectu appareat quod et quale paedagogi ministerium fuerit, adscripsimus locum Plut. de virt. doc. p. 439. E. καὶ αὐτοὶ διδάσκουσιν οἱ παιδαγωγοὶ κεκυφότης ἐν ταῖς ὁδοῖς περιπατεῖν, ἐνὶ δακτύλῳ τὸ τάριχος ἄψασθαι, δυσὶ τὸν ἰχθὺν σῖτον κρέας, οὕτω κνᾶσθαι, τὸ ἱμάτιον οὕτως ἀναλαβεῖν.

Romani autem in omnibus rebus quae ad vitae rationes pertinerent multo prudentiores et diligentiores quam Graeci, cautiores erant in eligendo paedagogo iidemque postero tempore utrumque et paedagogum et praeceptorem ita coniunxerunt et quodammodo confuderunt ut plurimi Graecum aliquem vel philosophum vel rhetorem vel grammaticum domi mercede conductum haberent. De quo genere hominum, quorum similes apud nos olim candidati mercenarii fuisse videntur, Lucianus peculiarem libellum scripsit, plenum suavitatis, ut solet, plenum leporis, plenum festivitatis. Nec Horatii patri paedagogus satisfecisse videtur, qui quidem, ne homini parum certo carissimum quod habebat, filium crederet, ipse Romam commigravit nec labori suo nec sumptui pepercit. Horat. Sat. I. 6. 71.

Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes idibus aera,
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos: vestem servosque sequentes
In magno ut populo si quis vidisset, avita
Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat.

Totum dedi poetae locum, in quo et de versu 75. vehementer inter homines doctos dubitatum est quid significet et de extremo num vere vel parentes vel paedagogi scholis interfuerint. Quorum alterum recte mihi videtur C. Fr. Hermannus indictis quasi feriis aestivis sive auctumnalibus in quatuor menses duce Martiale (ep. X. 62.) explicuisse, unde salaria in octonos tantum menses debuerint. Alterum autem nos hodie multo

magis miramur licuisse vel parentibus vel paedagogis ipsis auditionibus exercitationibusque interesse. Quod si cui minus credibile videbitur, is primum teneto, quo minus illis temporibus et legibus et a magistratibus scholis prospectum esset, eo plus curae esse debuisse singulis civibus num praeceptor rem sedulo ageret, num probis esset moribus, num a flagitiis in schola abstinere. Patri vero si non solum licuit adesse sed etiam necesse fuit, quid causae est quin paedagogo negemus qui eius vices sustinuit? At non nominatur paedagogus in illa Solonis lege apud Aeschinē (c. Tim. § 12.). Patri vero quod licuit, non idem eius vicario licuisse putabimus? Quod autem caput totius legis erat, ut pudicitiae puerorum prospiceretur, nonne ea cura maxime ad paedagogum pertinebat? Illud *παιδαγωγεῖον* quod apud Demosthenem (pro cor. § 258.) commemoratur, quid et quale fuerit non patet, sed ut fuerit locus separatus, ut vult C. Fr. Hermannus (Antiq. gr. III. p. 174.) ita sine dubio separatus erat ut omnia inde videri et exaudiri possent. Posteriore certe tempore nemo ab aditu scholarum prohibebatur. Plut. Cic. c. 2. Pers. Sat. III. 47. Plin. ep. II. 18. De paedagogo exemplum habet Sueton. de ill. gramm. c. 23. „*Remmius Palaemon Vicentinus mulieris verna primo ut ferunt texturum deinde herilem filium dum comitatur in scholas, litteras didicit.*“

Caedi autem pueros a parentibus, a magistris, a paedagogis non solum necessarium sed utile et Graecis et Romanis veteribus videbatur. Nemo ignorat Spartae pueros ad aram sic verberibus acceptos ut multus e visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem. Quod ut fuerit durissimae illius *ἀγωγῆς* proprium, non tamen ita longe ab opinione totius antiquitatis recedit. Caedendo velut aes aliquod vel lignum ad artificis voluntatem teneram aetatem effingi posse arbitrabantur. Accipe de ea re sententiam Platonis, principis philosophorum (Protag. p. 325.) *ἐκ παίδων σμικρῶν ἀρχάμενοι, μέχρι οὐπερ ἂν ζῶσι, καὶ διδάσκουσι καὶ νοουθετοῦσι, ἐπεὶ θάττον συνιῇ τις τὰ λεγόμενα, καὶ τρόφος καὶ μήτηρ καὶ παιδαγωγὸς καὶ αὐτὸς ὁ πατήρ — καὶ ἔὰν μὲν ἐκὼν πείδηται· εἰ δὲ μὴ, ὥσπερ ξύλον διαστρεφόμενον καὶ καμπτόμενον εὐθύνουσιν ἀπειλαῖς καὶ πληγαῖς.* Notumque illud Menandri

ὁ μὴ δαρεῖς ἄνθρωπος οὐ παιδεύεται.

Apud Romanos maior ille Cato hominem servilis conditionis puero ingenuo auriculas vellere indignatus ipse puerum docere maluit. Plut. Cato mai. c. 20. Primus hanc veterum persuasionem improbasse videtur Seneca, cuius haec sunt verba (de Clem. I. 14.) „*Nonne pessimus pater videbitur, qui assiduis plagis liberos etiam ex levissimis causis compescet? Uter autem praeceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificabit discipulos, si memoria illis non constiterit aut si parum agilis in legendo oculus haeserit, an qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit?*“ Accuratius rem disquisivit et ad nostrae fere aetatis rationes accessit Quintil. Inst. or. I. 3. 14. Quid autem praeclarius quam quod idem praecipit (Inst. or. II. 2. 4.) „*Sumat igitur (praeceptor) ante omnia parentis erga discipulos suos animum ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet.*“ Quid contra idem monet discipulos?

(Inst. or. II. 9. 1.) „*Ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament, et parentes esse non quidem corporum sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio — eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia.*“

Nec munera ultro citroque data ac reddita deerant. Arist. Nub. 1146.

— — — — ἀλλὰ τουτονὶ πρῶτον λαβέ-

χρὴ γὰρ ἐπιθαιμάζειν τι τὸν διδάσκαλον.

Horat. Sat. I. 1. 25.

— — — — pueris olim dant crustula blandi

Doctores, elementa velint ut discere prima.

Sueton. de ill. gramm. c. 17. „*Verrius Flaccus — ad exercitanda discentium ingenia aequales inter se committere solebat proposita non solum materia, sed et praemio quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus pulcher aut rarior.*“

Qui primus praeceptor iuventutem docere coeperit, quisve primus inter Graecos scholam aperuerit, in tanta rerum vetustate inutile videtur quaerere. Non dubito autem quin plerique rei originem ad utilitatem et quotidianam vel publicam vel privatam necessitatem referendam esse censeant. Quod ut non prorsus negem multumque ad rem proferendam contulisse concedam, tamen mihi quidem tantae rei initia, ut omnia reliqua apud Graecos nescio quid sublime ac paene divinum spirant, poetis potius eorumque rhapsodis assignanda esse videntur. Musica sine dubio prius et exerceri et doceri coepta quam grammatica, sunt enim illius certissima apud Homerum documenta, litterarum nulla aut certe admodum obscura et exilia. Musices igitur primi praeceptores, qui iidem postea etiam grammatices fuerunt. Gravissimum testem habeo Quintilianum (Inst. or. I. 10. 17.) „*Grammaticae quondam ac musicae iunctae fuerunt. Siquidem Archytas et Aristoxenus etiam subiectam grammaticen musicae putaverunt: et eosdem utriusque rei praeceptores fuisse cum Sophron ostendit, minorum quidem scriptor, sed quem Plato adeo probavit, ut suppositos capiti libros eius cum moreretur habuisse tradatur, tum Eupolis, apud quem Prodamus et musicen et litteras docet, et Maricas, qui est Hyperbolus, nihil se ex musicis scire nisi litteras confitetur. Aristophanes quoque non uno loco sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat.*“ Mirifice Quintiliani verbis illustratur locus Aristophanis Nub. 961. sqq. quem quia suavissimam effigiem, qualis illa prisca schola fuerit, praebet non adscribere nolui.

λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν, ὡς διέκειτο,

ὅτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων ἡνθουν καὶ σωφροσύνη νεόμιστο.

πρῶτον μὲν ἔδει παιδὸς φωνὴν γρύξαντος μηδὲν ἀκοῦσαι

εἶτα βαδίζειν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς εὐτάκτως εἰς καθαριστοῦ

τοὺς κωμήτας γυμνοὺς ἀδρόους, καὶ κριμνώδη κατανίφοι.

εἶτ' αὖ προμαθεῖν ἅσμι' ἐδίδασκεν, τὸ μὴ μὴ ξυνέχοντας,

ἢ Παλλάδα περσέπολιν δεινάν, ἢ Τηλέπορόν τι βόαμα,

ἐντειναμένους τὴν ἀρμονίαν, ἣν οἱ πατέρες παρέδωκαν.

ει δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ' ἢ κάμψειέν τινα καμπήν,
οἷας οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρῦνιν ταύτας τὰς δυσκολοκάμπους,
ἐπετρίβετο τυπτόμενος πολλὰς ὥς τὰς Μούσας ἀφανίζων.
ἐν παιδοτρίβου δὲ καθίζοντας τὸν μηρὸν ἔδει προβαλέσθαι
τοὺς παῖδας etc.

Mirantur enim interpretes (norunt scilicet ex Platone ceterisque deinceps scriptori-
bus tria scholarum genera) quid sit quod Aristophanes mentionem fecerit et citharistae,
et paedotribae, grammatastae, quod fuerit tertium genus praeceptorum, non fecerit et
poetam hoc genus sua comoedia inferius existimavisse dicunt. Quod quidem fastidium
nescio an a lepidissimo poeta alienum sit. Tu sequere Quintilianum, idem est citharista
qui litteras docet, id est legendi, scribendi, computandi artes (Plato de leg. VII. 809.
τὰ δὲ περὶ τὰ γράμματα πρῶτον, καὶ δεύτερον λύρας πέρι καὶ λογισμῶν.).
Eadem ratione explicabis eiusdem poetae locum Eqq. v. 188.

ἀλλ', ὦγάθ', οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι
πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.

Quum continerentur ad id temporis ceterae litterae et artes omnes una musica,
non poterat aliter loqui; si tres fuissent artes, aliter dictum oportuit. Verum ad illa
omnia discenda principi philosophorum non multa diligentia opus esse videtur. De leg.
VII. p. 810. γράμματα μὲν τοίνυν χρὴ τὸ μέχρι τοῦ γράψαι τὲ καὶ ἀναγνῶναι
δυνατὸν εἶναι διαπονεῖν. πρὸς τάχος δὲ ἢ κάλλος ἀπηκριβῶσθαι τισιν, οἷς μὴ
φύσις ἐπέσπευσεν ἐν τοῖς τεταγμένοις ἔτεσι, χαίρειν εἶναι. Fuit quidem praeter
citharistam etiam auletes in musicis, sed quum semper minus placuisset Atheniensibus,
Alcibiade maxime auctore reiectus, a Thebanis et quibusdam aliis retentus est. Uteban-
tur autem praeceptores Graeci (Plato Prot. p. 326. Xenoph. Symp. III. 5.) in scholis
suis praecipue Homeri carminibus, unde in primis factum videtur ut litterae Graecae
quamvis diversissimae inter se et genere et aetate unius tamen quasi corporis sint neque
quidquam vel aliunde petatum vel extrinsecus insertum appareat.

Fuerunt igitur initio duo genera praeceptorum, citharistarum et paedotribarum
apud Athenienses. Quorum alterum, quoniam non est huius operis atque instituti, iam
missum faciemus. Relinquemus etiam Spartanos et illam nobilissimam ἀγωγὴν, transi-
bimus Thebanos, de quibus plurima quae in hoc genere reperire potui (praeter Beckeri
Chariel. I. p. 56.) sunt apud Corn. Nep. Ep. c. 2. Quorum populorum uterque olim
Graeciae principatu potitus tamen in omni genere artium et litterarum ab Atheniensibus
ita superatus est, ut prae illis plane nullus esse videatur, meritoque Athenarum urbs
artium inventrix dicatur. Quis vero non iure miretur, quid sit quod res a tam parvis
tamque tenuibus profecta initiis tam cito tanta incrementa ceperit, ut ubi unus citharista
modo ad excolendos varie puerorum animos suffecisset, subito ibi maxima copia esset
non solum omnis generis artificum, sed poetarum, philosophorum, oratorum. Nam si-
mulatque civitatis animi et opes Periclis inprimis opera atque industria in tantum auctae

essent ut una universae fere Graeciae par esse posse videretur, multo tamen magis litterarum et humanitatis laude floruit, ut doctissimi quique ex ceteris Graeciae partibus ibi libentissime convenirent. Tum Socrates exstitit qui primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Tum primum citharista non amplius tot unus rebus sufficere visus est atque seiunctus grammatistes inferior, superiores additi philosophus et rhetor, alter Platone alter Lysia principe, ut quasi laeta quaedam arbor radicibus penitus immissis simul uberiores grandioresque fructus ederet. Grammatistes igitur (sive *γραμματοδιδάσκαλος*, ludi magister) prima elementa pueros docebat, genus hominum tenue admodum misera mercedula vitam sustentans nec ultra quemlibet patrem-familias sapiens. Tria sunt igitur inde a Platonis temporibus quae pueri docentur (nam philosophus et rhetor maiorum virium, et maturioris aetatis est) *γράμματα*, *μουσική*, *γυμναστική*. (Plato Theag. p. 122.) Plat. Crito p. 50. *ὁρῶντες γράμματα καὶ μουσικὴν καὶ γυμναστικὴν* — ἃ δὴ παιδείαν ἀρετῆς τελέαν ἡγήσθαι. Aesch. c. Ctes. § 246. *εὖ γὰρ ἴστε, ὅτι οὐχ αἱ παλαιστραι οὐδὲ τὰ διδασκαλεῖα οὐδ' ἡ μουσικὴ μόνον παιδεύει τοὺς νεωτέρους*. Quartum primus addit Aristoteles Polit. VIII. 3. *ἔστι δὲ τέτταρα σχεδὸν ἃ παιδεύειν εἰώθασιν γράμματα καὶ γυμναστικὴν καὶ μουσικὴν καὶ τέταρτον ἔτιοι γραφικὴν*. Auctorem rei addit Plin. (Hist. N. XXXV. 10. 36.) Pamphilum Sicyonium. *Ἀριθμητικὸς* et *γεωμέτρης* inter doctores non referuntur ante Macedonum tempora (Teles ap. Stob. Serm. XCVIII. 72.) quamvis multa sit earum artium commemoratio. (Plato de leg. VII. p. 817. *ἔτι δὴ τοίνυν τοῖς ἐλευθέροις ἔστι τρία μαθήματα, λογισμοὶ μὴν καὶ τὰ περὶ ἀριθμῶν ἐν μάθημα, μετρητικὴ δὲ μήκους καὶ ἐπιπέδου καὶ βάθους ὡς ἐν αὐτῷ δεύτερον, τρίτον δὲ τῆς τῶν ἀστρῶν περιόδου πρὸς ἄλληλα ὡς πέφυκε πυρεῦσθαι*.) Sed hoc litterarum genus quum neque ad privatam neque ad publicam utilitatem multum pertinere videretur, minus placuisse videtur Atheniensibus (Isocr. de perm. § 261.), in magna vero Graecia profectum a Pythagora, quamvis involutum somniis quibusdam et caliginosis, repetitum ab Archyta, praesertim quum Plato iterum atque tertium Syracusas arcesseretur, summis multorum studiis colebatur. Plut. Dio c. 13. *τὸ τυραννεῖον, ὃς φασί, κοινωρτὸς ὑπὸ πλήθους τῶν γεωμετρούντων κατεῖχεν*. Eademque urbs postea belli punici secundi tempore principem sine dubio in eo genere totius antiquitatis Archimedes habuit. Quum vero tantum incrementi cepissent omnium litterarum genera ut iusto longius videretur ad summa quaeque ab infimis intervallum, interpositus est quasi ad tutandum medium agmen *κριτικός*, postero tempore grammaticus dictus, sed ita interpositus ut vel suis domesticis copiis instructus esse posset, hoc est ut per se saepenumero artem quandam et doctrinam efficeret. Insignis est Alexandria in Aegypto horum hominum litteris et studiis, quorum primus Eratosthenes philologi sibi nomen assumpsit, quod hodie repeterunt docti id genus homines, Romae autem initio „*litteratos*“ appellaverunt. (Sueton. de ill. gramm. c. 4.) Erat autem

grammaticorum poetarum pertractatio (Cic. de Or. I. § 187.) historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus. Maior inde dignitas quam ludi magistri ut pari fere loco cum dicendi doctoribus, quorum munus Romae saepe simul suscipiebant, et philosophis haberentur. Magna inde pretia interdum vel maxima. Sed haec erant, ut facile per se intelligitur, pro eo quod homines efficere posse viderentur. Illud autem in primis tenendum est in omni genere praeceptorum multos fuisse qui ipsi quod professi essent parum percepissent, multos etiam pro temporum natura vel moribus nullis vel etiam insignes flagitiis, ut Remmius Palaemon de quo Sueton. de ill. gramm. c. 23. „*infamis omnibus vitiis, palamque et Tiberio et max Claudio praedicantibus nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum committendam.*“ Quae ad finem capitis Suetonius addidit, eiusmodi sunt ut adscribere verear.

In tanta autem et rerum et litterarum et artium varietate, quum in singulis generibus vix singuli ad summum pervenire posse viderentur, optimus tamen quisque in nullo genere plane rudis esse vellet, *ἐγκύκλιος* illa *παιδεία* orta est, ut summas omnium generum assequerentur, retinerent autem quo se maxime vel delectari vel excellere posse putarent. Musica autem illa, parens quodammodo ceterarum artium, nudata aliis litteris quas prius complectebatur, eaque facta quam nunc fere habemus, desiit paullatim ab universa iuventute coli, iisque relinqui coepta est, qui eam ita profiterentur ut quaestum inde facerent. Plut. de mus. c. 27.

Tandem Graecia quae quondam fama, quae gloria, quae doctrina, quae plurimis artibus, quae etiam imperio et bellica laude floruit, subacto Macedoniae rege cum quadam libertatis specie victori Romano cessit. Sed (Horat. epp. II. 1. 156.)

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio, sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius et grave virus
Munditiae pepulere, sed in longum tamen aevum
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.

Ut fuerint enim Romae iam antiquissimis temporibus scholae Appio Claudio decemviro (Liv. III. 44.) vel si dis placet ipso Romulo regnante (Plut. Rom. c. 4.) quum scilicet etiam Evandrum venerabilem virum miraculo litterarum dicant (Liv. I. 7.), tamen ut ait Cicero, inter bellorum strepitum civitas Romana olim parum liberalibus disciplinis vacabat. Facile autem intelligitur in illis ludis nihil praeter prima elementa pueros didicisse. Neque litterarum disciplina apud Romanos a musica arte sed ab utilitate et necessitate quadam profecta est. Nam omnia illa quae ad musicam artem pertinebant, quae tanta laude apud Graecos ferebantur, Romanis levia et potius contemnenda videbantur. „*Grammatica vero*, inquit Sueton. (de ill. gramm. c. 1.) *Romae ne in usu quidem olim nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiamtum civitate, needum magnopere liberalibus disciplinis vacante, si quidem antiquissimi doctorum, qui iidem et poetae et oratores semigraeci erant (Livium et Ennium dico, quos*

utraq̃ue lingua domi forisque docuisse adnotatum est) nihil amplius quam Graeca interpretabantur. — (c. 2.) Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum regione Palatii prolapsus in cloacae foramen crus fregisset, per omne legationis et valetudinis tempus plurimas ἀρχαίσεις subinde fecit assidueque disseruit.“ „Rhetorica quoque (idem de el. rhet. c. 1.) perinde atque grammatica sero recepta est, paullo etiam difficilius, quippe quam constet nonnunquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium sit vetus senatum consultum, item censorium edictum subiiciam. C. Fannio Strabone M. Valerio Messalla coss. (a. u. DXCII.) M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et de rhetoribus, de ea re ita censuerunt: ut M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, uti ei e republica fideque sua videretur, ut Romae ne essent. — De iisdem interiecto tempore, Cn. Domitius Aenobarbus et L. Licinius Crassus censores (a. u. DCLXI.) ita edixerunt: Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat, eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras, ibi homines adulescentulos totos dies desiderare. Maiores nostri quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Qua propter et iis qui eos ludos habent, et iis qui eo venire consuerunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere.“ Sed ne credas illa verba „maiores nostri quae suos liberos discere vellent etc.“ aliud quid significare ac ne quid praeter veterem consuetudinem fiat, vide Cic. de rep. IV. 3. „Principio disciplinam puerilem ingenuis, de qua Graeci multum frustra laborarunt, et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum negligentiam accusat, nullam certam aut destinatam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt.“ Quodsi quaeris quae huius rei causa fuerit, aliis rebus ducebantur, alia sequebantur Romani, alia Graeci. Nihil apud hos nobilius putabatur quam rerum causas cognovisse, valere dicendi facultate, valere ingenii acumine et subtilitate, apud illos tenuiores rem facere unice cupiebant, potentiores gratiam, honores, imperia: apud hos summo erat opprobrio ἀμαθία vel ἀπαιδευσία, apud illos doctum videri nescio quid puerile et ineptum habere videbatur. Itaque factum est, ut tantum sibi Romani ex litteris assumendum putarent, quantum ad illa vel paranda vel tuenda satis esset parumque curarent divina illa atque caelestia, dummodo aut in foro elucerent aut terris imperitarent. Nullus inde honos musices inter Romanos, nisi qui forte phonasco operam dabant ad vocem conformandam, ipsa quoque philosophia ancillula potius eloquentiae ad locos nescio quos oratorios praeparandos, quam lux quaedam et magistra vitae, multoque minoris erat mathesis, qua siderum cursus perscrutarentur, quam computandi rationes. Sensit hoc Horatius non sine indignatione quadam. A. P. v. 324.

Graius ingenium, Graius dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. „Dicat
Filius Albini: si de quincunce remota est
Uncia, quid superat?“ Poterat dixisse: triens. „Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?“
Semis. At haec animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?

Virg. Aen. VI. 847. populares suos tanquam consolaturus:

Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt caussas melius, caelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Haec tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.

Neque contra Graeci quantum ingenio, doctrina, artibus humanitate Romanis praestarent, non sibi erant consci. Gell. N. A. XVIII. 9. Qui vero Romanorum studio litterarum tenebantur, ita plerumque Graecas litteras admirabantur ut non solum eas unice probarent sed ut plurimi etiam ad eas penitus cognoscendas Athenas proficiscerentur. Receptis autem Graecis litteris, spretisque inde ab Ennio „versibus quos olim Fauni vatesque canebant“ quum Latinae litterae et ipsa lingua quasi a naturali suo cursu deflecterentur, factum est ut Saliare carmen et si qua alia erant veteris memoriae et ipsae duodecim tabulae a posterioribus paullatim vix intelligerentur (Stat. Silv. V. 3. 176. Quintil. Inst. Or. I. 7. 40.). Quibus neglectis Ennius, Pacuvius, Lucilius aliquamdiu ludos occupabant, quos omnes facile Virgilius superavit (Suet. de ill. gramm. c. 16.). Neque tamen ullo tempore deerant qui totum illud operam dare philosophiae liberalibusque disciplinis fastidirent et obtundi ingenia discendo dicerent, vel ut ille apud Ciceronem „disciplina mihi fuit forum, magister usus et leges et instituta populi Romani mosque maiorum“ quasi gloriabundi de se profiterentur. Quid? Nonne inter eos quibus plurimum valere disciplinam et litteras ad animos puerorum excolendos persuasum erat vel Quintiliani temporibus dubitatum est, „utiliusne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere an frequentiae scholarum et velut publicis praeceptoribus tradere.“ In quo genere nemo difficilior vetere illo Catone, qui ipse filium docere maluerit, quam servo committere quamvis idoneo. Plut. Cat. mai. c. 20. ἐπεὶ δὲ ἤρξατο συνιέναι παραλαβὼν αὐτὸς ἐδίδασκε γράμματα, καίτοι χαρίεντα δοῦλον εἶχε γραμματιστὴν ὄνομα Χίλωνα, πολλοὺς διδάσκοντα παῖδας. Οὐκ ἤξιόν δὲ τὸν υἱὸν, ὥς φησιν αὐτὸς, ὑπὸ δούλου κακῶς ἀκούειν ἢ τοῦ ὧτὸς ἀνατείνεσθαι μανθάνοντα βράδιον, οὐδὲ γε μαθήματος τηλικούτου τῷ δούλῳ χάριν ὀφείλειν, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἦν γραμματιστής, αὐτὸς δὲ νομοδιδάκτης, αὐτὸς δὲ γυμναστής. Domi ha-

buit Cicero Dionysium libertum qui Cicerones pueros doceret, cui quum irasceretur, ipse paene subdocere coactus, paullo post in gratiam rediit (ad Attic. VIII. 4.). Uterque et Cato et Cicero apud Graecos, qui nunquam publico quasi praeceptore non uterentur, parum civilis habitus esset. Plut. Camill. c. 10. Κοινῶ γὰρ ἐχρῶντο τῷ διδασκάλῳ, ὥσπερ Ἕλληνες, οἱ Φαλέρτιοι βουλόμενοι συντρέφεσθαι καὶ συναγελάζεσθαι μετ' ἀλλήλων εὐθύς ἐξ ἀρχῆς τοὺς παῖδας. Eadem fere ap. Liv. V. 27. „Mos erat Faliscis eodem magistro puerorum et comite uti, simulque plures pueri, quod hodie quoque in Graecia manet, unius curae demandabantur. Principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur praeexcellere, erudiebat.“

Nec praetereunda videtur hoc loco consuetudo quaedam perniciosissima litteris apud Romanos, quae paullatim etiam scholas invasit. Composito enim toto orbe, quum et ipsa Roma „nugari“ coepisset, optimus autem quisque laudis cupiditate mirifice flagraret, plurimi ad litterarum studia se contulerant, quidquid composuerunt, carmina, orationes, historias amicis convocatis praelegebant. Hi gratia commoti aut coenula muneribusve corrupti bona mala, condita incondita, apta inepta pariter laudibus in coelum efferre. Incessit ea pestis mox scholas quoque et frustra a Quintiliano reprehensa esse videtur. Inst. Or. II. 2. 9. „Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exsultandique in laudando licentia, quin etiam iuvenum modicum esse, quum audient, testimonium debet. — Illa vero vitiosissima, quae iam humanitas vocatur, invicem qualiacunque laudandi, cum est indecora et theatralis et severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videntur cura ac labor parata quidquid effuderint laude.“ Cf. ib. II. 10.

Praeterea quum longe alia ac prope diversa esset conditio mulierum apud Graecos atque Romanos, ut iam Cornel. Nep. Praef. notavit, quumque Graecarum mulierum esset ἔνδον μένειν, neque in publicum eis nisi quibusdam diebus festis prodire liceret, scholas ingenuarum virginum nullas fuisse apparet, ipsasque in universum litterarum rudes fuisse, nisi quod domi forte quasi surriperent. Quae vero ex corpore quaestum facere erant destinatae, servilis et libertinae conditionis, eas mango diligenter erudiendas curavit. Apud Romanos contra iam inde a primis temporibus ludi et puerorum et virginum erant. Servi autem erudiebantur et artibus et litteris plurimi praecipue apud Romanos et frequentissima commemoratio servorum litteratorum.

Quodsi Sueton. de ill. gramm. c. 3. memoriae prodidit temporibus quibusdam super XX. celebres scholas fuisse in urbe, multum hoc homini videatur ut temporibus illis, parum ut nostris. Nam si singulis sexagenos discipulos dederimus, MCC. discipuli efficientur, quod pro imperii Romani amplitudine non ita multum mihi videtur, scholae autem, praeter eas quae erant in urbe, perpauca in oppidis fuisse videntur, nam licet Iuvenalis dixerit „de conducendo loquitur iam rhetore Thyle“, Veronae celeberrima iam tum urbe (Plin. ep. IV. 3.) illo ipso tempore schola erat nulla, et ipse Plinius Roma magistros arcessivit. Ex plurimis autem elegantissimi hominis epistolis elucet

magnam illis temporibus scholarum curam habitam esse a principibus viris, itaque „*Quintilianus ex Hispania Calagurritanus primus Romae publicam scholam aperuit et salarium e fisco accepit et claruit.*“ Hieronym. in Chron. Euseb. Olymp. 216. (qui est annus p. C. n. 88.) unde Martial. ep. II. 90.

Quintiliane vagae moderator summe inventae,

Gloria Romanae, Quintiliane, togae.

Qua aetate quum nulla alia totius antiquitatis magis propitia praeceptoribus videri possit, Imperatoribus et nobilissimis doctissimisque hominibus Pliniis, Corneliis scholarum fautoribus conditoribus patronis minime tamen conditio qua praeceptores vivebant Iuvenali invidenda videtur. (Sat. VII. 150. sqq.)

Reliquum est ut breviter oratione nostra comprehendamus quid et quantum inter veterum scholas et nostras interesse videatur. Singulorum erant privatorum vel etiam peregrinorum scholae apud veteres, nec quisquam praeceptorem adiuvabat nisi forte servus aut unus alterve discipulus, qui ceteris profectu praestaret. Quamvis autem postero tempore tres quasi gradus facti essent quibus ad summa quaeque in litteris perveniretur, prima elementa, grammaticae, rhetoricae vel philosophia, nullis tamen certis finibus neque legibus, ut apud nos fit, distinebantur. Unde factum est ut et pueri varias variorum doctorum scholas, ut grammatici, phonasci, geometrae eodem die frequentarent, et ut modo grammaticus in finitimi utriusque fines quodammodo incurreret, modo philosophus quasi primarum, secundarum tertiarumque actor idem esset. Nec discipulorum ante Quintilianum certus ordo (Inst. Or. I. 2. 23.) Sed haec omnia quamvis sint magna, levia tamen sunt prae ceteris. Nostra enim schola ab ecclesia profecta semper prae se tulit feretque effigiem quandam huius originis, matutinis vespertinisque precibus et vocum concentu dei laudes celebrantur, suaeque auditiones de verbo divino rebusque sacris. Quae omnia longe aliter apud veteres Graecos et Romanos: de diis deorumque cultu ne de moribus quidem verbum ullum nisi quod legebatur apud poetas. Philosophus si quis sibi disserendum putavit de ea re, in universum quaesivit, utrum dii essent an non essent, utrum unus an plures, curarentne res humanas necne et id genus alia de quibus vide Cic. de N. D. Si quis cognoscere vellet quo quisque deus ritu colendus esset, adeundi erant non ludi magistri aliqui nec grammatici in omnis generis lectione versati, nec philosophi subtilissimi sed sui cuiusque numinis sacerdotes. Cic. de legg. II. 8. „*Quoque haec (sacra) privatim et publice modo ritumque fiant, discunt ignari a publicis sacerdotibus.*“

Vides quam tenuiter veterum scholae institutae fuerint quod et quantos in omni genere homines tulerint, quot et quanta ipsi opera ediderint, ut recte prorsus iudicasse videantur, qui quanto minora extrinsecus adhibuerint discendi instrumenta et apparatus, tanto maiora fere veteres studio et ardore quodam ingeniorum consecutos esse existiment. Nos vero, omnibus copiis armis equis viris ut ita dicam instructos, nos ab adversario levis armaturae superari patiemur?

„*Quoque haec (sacra) privatim et publice modo ritumque fiant, discunt ignari a publicis sacerdotibus.*“